DISPUTATIO MEDICA 16

INAUGURALIS

DE

PERITONITIDE PUERPERARUM.

AUCTORE DILLON KELLY.

PRAEFANDA.

Peritonitidem Puerperarum, quippe quae genus est valetudinis adversae creberrimum et saepe lethale, permagni scrutari et cognoscere medicorum interest. Vix dubitare licet, quin a temporibus antiquissimis usque ad hodierna, hic morbus frequenter mulieres contorserit, et necuerit; nusquam enim et nunquam non eaedem noxae illatae eadem mala pariunt. Veteres tamen, etsi morbi propositi notas hic illic scriptis mandaverint, harum causas, sedes et naturam pene

Edinburgh 1815

ignorabant. Jussievus equidem, quantum scio, Parisiis, anno millesimo septingentesimo quadragesimo et sexto, mortuorum corporibus inspectis, et signis acri studio observatis, eum lucida oratione et concinna descripsit. Ex quo floruit hic perinsignis medicus, complures animos huc appulerunt; quos non latebat, hunc morbum persaepe pestilentem quasi grassari, certeve per vulgus spargi.

Auram sane pestilentem eum interdum diffundere, usu pene ipso docemur. Parisiis ab anno millesimo septingentesimo septuagesimo et quarto ad annum millesimum septingentesimum octogesimum et sextum saeviit. Londinii nihilo levior exarsit, anno millesimo septingentesimo et sexagesimo. Eblanae, annis millesimo septingentesimo sexagesimo et septimo, septuagesimo et quarto, et quinto. Denique, mihimet ipsi contigit in hac eadem urbe, annis millesimo octingentesimo et decimo tertio, decimoque quarto, dirissimam stragem inde natam tes-

tari, apud Valetudinarium Eblanense gravidis accipiendis accommodatum ; ubi haec pestis, facie teterrima praedita et exitiosissima erupit: quam eo argumento, de quo disseram, selegi, quod medicinam faciens, aegras curabam, et signa omnia conspiciebam.

Non ignoro medicos non idem omnes de hujus mali natura sentire: in animo est ea, quae huc pertinentia sim scripturus, e fontibus optimis haurire, et secto cadavere inventis firmare.

DE NOMINE ET DEFINITIONE.

Jamdiu medici cognoverunt, *peritonaeum puerperis* inflammari. Imo vero Pater ipse artis medicae, et plures alii ex vetustioribus, de hoc malo passim quaedam conscripserunt. Idem alii aliter nominarunt : quidam

Febrem Puerperarum; nonnulli *Peritonitidem;* alii *Peritonitidem Puerperarum.* *Peritonitis* optime vocatur; fieri enim potest, ut maribus, virginibus aliisque foeminis, quae non in utero gesserunt, *peritonaeum* inflammetur; quod tamen mali genus proposito plurimum distat.

Ita vero definire placet: " *Pyrexia Typho-*
" *des* et gravissima; dolor et intentio ventris
" insignia, corpore porrecto aucta, sine no-
" tis cujusvis visceris inflammati; summa vi-
" rium resolutio."

DE INDICIIS.

Hic morbus interdum vulgaris quasi grassari videtur, omnes fere *puerperas* invasurus, perinde quasi pestilens esset. Quod si accidit, multo gravior, multoque perniciem saeviorem secum illaturus urget. Non semper eodem tempore post mulierem enixam ac-

cidit, aut iisdem notis praedicatur. Aliquando aegrotare coepit foemina die primo, modo secundo, aut tertio ex edito partu ; paulo rarius post diem sextum.

Quidam sane tulerunt, nondum enixis hoc malum contigisse ; quorum in verba vix jurare possum. Morbus, quem prosequor, haud secus atque aliae inflammationes, ex artubus inhorrescentibus incipere solet. Interdum oculi prius hebetantur, et frons dolet, quam artus horrore intremiscant. Fugato horrore, summa cutis praeter naturam calere et inarescere coepit. Aegra noctu vigilat anxia ; cibos fastidit ; sensu gravitatis circa praecordia vexatur. Interdum naturam biliosam ineunte morbo, et deinde atrum evomit. Membris jam horrescentibus, arteriae languide, cito, et vix paribus intervallis saliunt ; simul atque vero corpus incaluerit, aliquanto validius micare coeperunt, et simul motu incitatissimo ; imo vero nonnunquam centies et vicies aut tricies intra sexagesimam horae partem, et si-

mul inaequaliter. Non saepe earum motus fortes et duri esse comperiuntur, nisi aegrotet mulier vegetior. Nunc tandem dolet pars ima ventris: hic dolor paulo postea per totum abdomen spargitur, et manu opprimente increscit; aut inter expirandum, aliquemve motum, cui moliendo musculi abdominis inserviunt, dolori spiritus celerior protinus accedit. Dolent porro interdum humeri, dorsum et femora. Anima non sine gravi cruciatu trahitur et emittitur; eo quod septo transverso et musculis abdominis inter spirandum contractis, pars inflammata opprimitur, et irritatur: hinc aegra crebrius, quam ex consuetudine, anhelat. Venter tumet, quasi spiritu impleretur. Urina parca excernitur, aegre, nec sine dolore; ineuntibus malis rubet et pellucet; deinde autem crassa, et ex ea subsidit candidum aut fuscum.

Alvus inter principia tardior, nunc demum fluere coepit. Saeviunt quoque tormina crudelia, et assidua dejiciendi cupiditas; illa vero alvo descendente aliquantum consopiuntur.

Quas maxime vomitus tentat, his minus profluere solet alvus.

Lingua fere aret et aspera est; modo candida aut fusca: graveolet anima; et dentes atra sorde inquinantur. Aliquando vires ab ipso initio admodum dilabuntur; cibos misera fastidit, nec sumptos bene concoquit. Noctu parum dormit, nec somno, ut integra, recreatur. Ubera siccescunt et flaccent, quam minimum lactis fere secretura; quod tamen non est perpetuum: interdum enim, at paulo rarius, lacte superfluunt, uti jam enixis. Aliquanto postea, dolor imae ossis pectoris parti incumbit, umbilicum inde petiturus. Aegra simul difficulter spirat, et tussit. Venter plus tumet, digiti prementis non patiens.

Malis ingravescentibus, vires labi incipiunt. Vultus animam tristem et lugubrem clare testatur; modo expallescit, at saepius genae rubescunt, labro superiore, quod mirandum, pallente. Nunc demum summa cutis *miliaria* efflorescere conspicitur; inde tamen aegra nihil aerumnis expeditur. Magis magisque ob-

scuratur vitae flamma: intenduntur vomitus et alvi fluxus, aut alteruter ex iis. Maculis purpureis livet cutis. Modo infelix delirat, aut ei deficit anima. Fauces et gingivae nonnunquam ulceribus albidis foedantur, quae Graeci Αφθας nominant, quaeque persaepe deorsum serpunt et latissime patent, alvum insigniter fusura. Imo vero suspicari licet aliquando iter alimenti universum ita exulcerari, siquidem interdum una pars intestini recti hanc speciem sibi praetulit. Ubi mulier demum in praecipiti versatur, et moritura videtur, plures e notis molestioribus abeunt: quiescunt dolores; saepe detumescit abdomen; at subinde magis quam antehac spiritu concluso turget, et simul eo dolet, ut se vel stragulis operiri, aut veste tangi vix patiatur. Alvus descendit, et urina redditur citra mentis imperium; et ventriculus, cujusvis rei retinendae impotens, vix molimine ad id edito, quaeque accepta evomit. Cor et arteriae concidunt, motuque citissimo et inaequali intremiscunt, potius quam digitum admotum feri-

unt. Corpus insudat non ubique aequaliter, at circa faciem et pectora. Mortem interdum subesse testatur cutis rubore purpurascens, qualis *erysipelati* contingit: spiritus simul creberrime trahitur et emittitur: frigent artus: arteriae vix digito subsilire sentiuntur, et tantae aerumnae morte exoptanda finiuntur.

Hic morbus occidit modo intra horas viginti duas; alias die secundo, quarto, quintove: raro decem dies perstat, prius aut abiturus aut miseram extincturus. Serius ociusve peribit aegra, pro corporis indole et aetate, proque notarum vi et medendi ratione, quam medicus fuerit secutus.

Quoties morbus, de quo agimus, non letho finitur, febris decedere coepisse solet die circiter quinto, sexto, vel septimo: demum penitus evanescit: venter simul detumescit, et dolor cessat: secernenda et excernenda secerni et excerni incipiunt, et ad integram valetudinem sensim reditur. Vix aliqua omnibus notis, quas proposui, implicatur, at praecipuis; nisi equidem hic morbus incitatissimus urget.

Fugatis malis, interdum aliquid abscedit, idque in aliis atque aliis partibus: modo sequitur febricula, cibi fastidium et vires resolutae; alias dolores longi et torpor artuum.

Ea, quae supra scr psimus, ad *peritonitidem puerperarum* pertinent, qualis in valetudinariis prodit; qualem vero se exhibet aedibus privatis incumbens, paucis explicabo.

Multo levior et vix lethalis aegrae domi habitanti contingit. Modo huic ex alvi fluxu, alias ex dolore vesicae et mingendi difficultate incipit. Inter principia arteriae valide et dure saliunt; aliquando post, languide et crebro; si peritura sit mulier, haud raro sapore aut nervorum distentionibus absumitur.

QUAE CORPORIBUS INCISIS PATEFIUNT.

Ventre inciso, *peritonaeum* spiritu intumuisse conspicitur, qui admodum foetet. Eo-

dem interdum turgent intestina ; alias collabuntur. Ex arteriarum oribus, quae *peritonaeo* insperguntur, effluxisse reperitur humor, lacti consimilis, sanguine coacto subinde mixtus. Membrana, quam prosequor, notas omnes et gravissimas inflammationis praegressae sibi praefert ; nimirum, vasis innumeris praeter solitum rubet : hic illic livet, et aliquando ejus partes, alia alii, haerent. Ventriculus, lien, intestina, et jecur, parum integra esse solent. Ista alimenti fistula paululum habet laticis aquosi. Jecur et lien plus aequo pallent. *Omentum* nunquam non est vitiosum ; solito exilius est, et prae inflammatione, quam subiit, cum intestinis fere committitur. Hujus intestini et *peritonaei* vasa eo sanguine turgent, ut liquorem rubrum, quali ea *anatomici* replere consuerunt, accepisse videantur. Quae partes gangraena vitiantur, his subest humor male olens, ater aut subviridis. Vesica et fistula urinae nihil insoliti sibi praeferunt. *Ovaria* induruisse, et gangraena corrupta esse nonnunquam reperiuntur. Interdum pulmo et pleu-

ra cohaesisse videntur. Rarius equidem, at subinde, his interjicitur liquor ei similis, qui ventri subest.

DE SIGNORUM RATIONE.

Non nisi de notis praecipuis disputare in animo est.

Ventris tumor.—Tumet venter, interdum quia spiritu impletur intestinum. Ubi vero misera ad fatum praeceps fertur, abdomen intumescit, quia humor effusus, de quo retuli, putrescendo vim insignem concipit aëris.

Dolor.—Venter dolet, digiti impositi non patiens, ob inflammatum *peritonaeum.*

Nausea et vomitus.—Haec mala cruciant. partim ob inflammatam extimam ventriculi membranam, partim ob fel nimium et aequo acrius.

Alvi fluxus.—Interdum alvus profluit; eo quod bilis vitiosa et uberior excernitur.

Spirandi difficultas.—Aegra difficulter spirat, quia venter tumefactus impedit, quo minus fibrae septi transversi et musculi ventris facile moliantur. Quinetiam, *peritonaeum* inflammatum facit, ut hi musculi contracti gravissimum cruciatum afferant. Aegra igitur prae dolore spirare vix audet. Huc accedit, quod aliquando pulmo, ejusve membrana plus minusve inflammatur.

Alvus tarda.—Alvus, quod supra proposui, persaepe pigerrima est; nec ratio obscura. Cuicunque febris adest, huic secernenda et excernenda omnia reprimuntur; intestino igitur soliti latices deficiunt; ipsius fibrae simul elanguent, et stercus indurescit.

Dolor ventris ex improviso abiens.—Haec nota gangraenam accessisse testatur.

Maculae lividae.—Vasa resoluta et sanguinis tenuior, efficiunt, ut cruor in cava membranae cavernosae cuti subjectae fundatur, unde cutis purpurascere videtur. Vires lapsae alias quoque notas, quae ad finem prodeunt, inferunt.

Vires fractae.—Quoniam hic morbus vel felicissimam adortus derepente robur comminuit, statuere licet hoc fieri ob intimum consensum, quo partes affectae cum cerebro sociantur.

DE CAUSIS.

Causae morborum duplices sunt: nimirum, *Abditae*, vel quae corpora iis subeundis opportuna reddunt; et *Evidentes*, id est *Excitantes.* De utrisque paucisdisputabo.

Abditae.—Omnes puerperae ad malum propositum admodum sunt proclives; at praecipue, quas natura vultu pulchro et rubro, oculis nitidis et coeruleis, et multo sanguine donavit; eoque magis, si prius se luxui, ignaviae, et gulae se dediderint, aut aliunde se impleverint. Huc accedit, quod omnes noxae, quae infirmando mulieres irritabiliores, quam fert natura, reddunt, eas valde obno-

xias, quas adoriatur hic morbus, faciunt. Quales sunt menstrua ante coïtum uberiora; alvus alicui jam in utero gerenti acrius medicamentis expurgata; cibus parcior nec opimus, et aliae ejusmodi.

Motus animi sedantes opportunas quoque faciunt; veluti timor, moestitia, terror, amor spei expers. Imo vero quidam ex animi motibus incitantibus eodem pertinent; quales sunt ira et gaudium. Irritabiles, quae adhuc virgines *hysteriam* passae sunt, non raro in hanc valetudinem nuptae incidunt. Sudore digeri, quippe quod vires maxime conterit, faciet ut aliqua ad morbum, quem prosequor, propensior sit Conclave igitur, ubi cubat *puerpera*, perflatum habere, et omnia quae nimium calefacerent evitari oportet.

Causae Excitantes.—Parum hucusque convenit inter medicos, quibus causis gigneretur hic morbus. Paucis igitur enarrare in animo est ea, quae auctores de hac rei propositae parte senserint, aut hallucinati sint. Usu docemur, virus pestilens, quale apud medicos

contagium nominatur, in valetudinariis hunc morbum parire; naturam vero loci et aëris id procreare. Nec ideo tamen existimandum, eundum contactu ab alia ad aliam semper transferri; interdum enim mulieres vel gravidae, quanquam aegris ministrent et accubent, non illico in eum incidunt. Apud antiquiores HIPPOCRATES, et inter recentiores SYDENHAMUS, hoc malum frigori, causae omnium praecipuae et valentissimae deberi senserunt. Alii, hallucinati, nempe BOERHAAVIUS, SWIETENIUS, LEVRETUS, uberibus flaccidis in animo habitis, idem sanguini a mammis ad *peritonaeum* impulso tribuerunt. Humorem vero lacti consimilem, quem arterias hujus membranae patulas excernere retuli, lac ipsum huc translatum, perperam, ut opinor, judicarunt. Hos denique vanam opinionem fefellisse hinc constat, quod interdum *peritonitide* aegrotantibus lac, uti fert natura, secernitur; quod omnes morbi acuti secernenda minuunt, et lac inter alia; idque non minus quam illi, de quo agitur: denique quod

humor e membrana ventris effusus, periculis subjectus, lacti dissimillimus fuit compertus. Neque igitur lac suppressum, nec alvus pigra hunc morbum excitat ; qui contra potius secernenda reprimit, quam his suppressis enascitur. VATSANO, CLARKIO, WHYTTIO, et aliis placuit, *peritonaei* inflammationem, quae *puerperis* contingit, *secundariam* esse, et morbum, quem referimus, eadem noxa, qua *typhus*, exoriri. Id eo sentiunt, quod non raro, haud secus atque ea febris maligna, vulgaris in valetudinariis et magnis urbibus grassatur exitiosissima, et saepe una cum eadem febre saevit. In quorum opinionem jurare nequeo ; quando enim *typhus* per populum spargitur, puerperae frequenter in hanc febrem incidunt, *peritonitide* simul immunes.

Non sane inficias est eundum, *peritonitidem puerperarum* saepe per vulgus, adinstar morbi pestilentis, disseminari. Hoc, ni fallor, accidit iisdem de causis, quibus *catarrhus, rheumatismus* aut *pneumonia* saepe complures eodem tempore plectit. CLARKIUS

nos certiores fecit, hos morbos et *peritonitidem* simul vulgares Eblanae saeviisse. Ejusdem porro rei plura exempla citare licet.

Quinetiam, mortuorum sectis corporibus patet, febrem istam et morbum, quem prosequimur, inter se maxime esse aliena. Hoc quam illa implicita citius perit aut sanatur. Huic, non illi, ventriculus, intestinum, *peritonaeum*, &c. notas istas teterrimas jam relatas exhibet. Huic, denique, quam illi, genus nervosum multo minus collabitur.

Quidam, et praesertim DENMANNUS opinantur, hunc morbum ex uteri inflammatione coepisse: hunc vero patere, eo ut demum inflammetur *peritonaeum*. Cui sententiae assentiri nequeo; non enim ineuntibus malis dolet pars ima ventris. Ea sane pars minus, quam aliae, cruciatur. Abdomine porro inciso, uterus integerrimus fere comperitur. HAMILTONO placet, inflammationem *peritonaei*, quae *puerperas* male habet, *erysipelati* esse affinem: ita sentit, quod uterque morbus

persaepe simul vulgaris patet, maximeque in valetudinariis. Nos longe aliud sentire profitemur ; *erysipelas* enim summae cuti et membranis interioribus *mucosis* dictis unicis insidet. Contra, inflammatio, quam prosequimur, membranam *serosam* corripit, ideoque *phlegmonen* multo magis quam *erythema* simulat. Denique, statuere licet, *peritonaeum* et *omentum* graviter inflammari ; hanc vero inflammationem non morbum, de quo disputamus, continere et facere, sed morbum ipsum, prae sua natura propria, inflammationem procreare ; *peritonitidem* denique *puerperarum* esse malum sui simile, quod saepe in valetudinariis, ob aëra vitiosum et alias istiusmodi noxas loci proprias nascitur. Cur vero aura ista pestifera *peritonaeum* inflammet, adhuc latet ; nec sane clarius innotuit cur virus pestilens, quod *rubeolam* gignit, summam cutem rubefaciat, animaeque fistulas inflammet.

DE DIAGNOSI.

Hucusque proposito absoluto, sequitur ut paucis explicem, quae mala *Peritonitidem* referant, et quomodo ab hac dignosci possint. Morbi vero huic quodammodo affines, sunt, *Miliaria*, *Typhus*, Inflammatio uteri, *Enteritis*, *Cholera*, *Cholica*, *Ephemera lactea*, Febricula secundis retentis exorta, et Molimina, quae partum editum sequuntur.

Miliaria. — Hic morbus eo *Peritonitidi Puerperarum* distat, quod cutis ei papulis efflorescit, et sudore gravi et male olenti diffluit, et valde prurit; quod porro papulis prodeuntibus mala leniuntur.

Typhus. — Venter huic febri non acute dolet, nec spiritu tumet; neque hac implicitus aegre et cum dolore spirat: quae notae morbum, de quo scribimus, potissimum insigniunt. Mens porro et genus nervosum febri-

enti, magis quam *peritonitide* laboranti, labuntur.

Inflammatio Uteri.—Quibus inflammatur uterus, his id viscus ampliatur, indurescit et vehementer dolet; dolor quoque ad inguen et femur fertur; at utero soli omnium ventris partium incumbit: quae signa peritum falli non sinunt.

Enteritis.—Minoris intererit, inflammetur intestinum an *peritonaeum puerperae*, cognoscere; eadem enim auxilia utrique conveniunt. Intestino autem inflammato, scire licet, dolorem circa umbilicum cruciare; arterias durius micare; alvum tardiorem esse; aegrum citius delirare, et sinciput non dolere: quibus notis perpensis, vix errare licebit.

Colica.—*Colica* dolore potissimum umbilicum tentat. Hic dolor, manu premente, mitescit, et febris expers esse solet.

Ephemera lactea.—Quibus accedit haec febricula, iis mammae tument; venter autem integerrimus est, et glandes axillarum dolent. Ubera autem *peritonitide* implicitis flaccent;

dolet venter ; exardet febris, sanissimis glandibus supradictis.

Febricula secundis retentis exorta.—Huic febriculae, *hecticae* adinstar, corpus vicissim, modo inhorrescit, modo calet praeter naturam ; ardores vero excipit sudor : quae notae medicum errare non patiuntur.

Molimina, quae partum editum sequuntur.—Haec, etsi acerrima, non tamen continenter urgent ; at integritate longiore aut breviore interjecta, modo saeviunt, modo quiescunt ; deest porro febris, assidue vero affligit dolor *peritonitide* oriundus.

DE PROGNOSI.

Ex iis, quae supra comprehensa sunt, patet complura metum, perpauca spem indicare. *Puerperarum*, quae in valetudinariis cubant, plures moriuntur, quam quae in ae-

dibus privatis aegrotant. Illarum, quae pereunt, et quae ad salutem redeunt, eandem habent inter se rationem quam numeri *sex* et *unus:* harum vero eandem, quam *septem* et *duo.* Mitior igitur et minus luctuosa *peritonitis* his, quam illis accedit. Quanto celerius eadem partui supervenit, tanto magis mulier periclitatur. Malum exitum augurari oportet, si qua imbecillior et natura delicatior aegrotet, arteriaeque eidem languide et crebro saliant. Nec salva judicanda, cui mens delirat aut stupet, malorum praesentium sibi vix conscia, nec pavida. In praecipiti porro versatur, cui spiritus aegerrime trahitur et emittitur, cuique venter assidue dolet, et indies magis intumescit; cui demum caput insigniter dolet, quaeque noctu vigilat. Fatum vero instat, si venter ex improviso dolere cessat; si labuntur vires; arteriae exiliter et citissime moventur; si aegra atrum et fuscum vomit; si alvus descendit foetida; et urina, animo nesciente,

excernitur; si cutis gelido sudore madet, nec ubique aequaliter; si maculis coeruleis inquinatur; artusque frigent. Sperare contra licet, ubi venter parum turget et dolet; ubi corpus aequaliter insudat, nec friget; et spiritus expeditior; ubi mens spe refocillatur, et urina multa et pura fluit. In bona quoque spe est, cui alvus leniter profluit, nec simul vires prosternuntur; cuique vomitus levior est; cui demum ubera, prius flaccida, intumescere, et lac secernere coeperint. Raro peritura est, cui morbus ultra diem quintum decimum producitur. Denique, quae salutem receptura est, ei mala die circiter quinto aut sexto mitescere incipiunt; et valetudo lento passu demum confirmatur.

DE MEDENDI RATIONE.

In animo habitis iis, quae de causis disputavimus, nemo mirabitur, quod medici alias alii curandi vias prosecuti sint. Unicum sane consilium pene totam curationem amplecti videtur; id vero est, quam celerrime inflammationem *peritonaei* debellare, quo minus pars affecta suppuret, aut in gangraenam abeat. Sanguis vero mitteretur, necne, vena incisa, nondum inter medicos convenit. Venam feriendam judicant Leakius, Denmannus, Hulmius, et alii. Contra, Clarkio et Hamiltono videtur, sanguinem elicere, mulierem esse jugulare. Quum ita se res habeat, autumo verum medium esse quodammodo inter partem utramque; et uti longe saepius venas vacuefacere juvat, ita id interdum ob corporis indolem tutius praetermitti, aut parca manu fieri oportere.

Multi sane huic generi auxilii aversantur ; eo quod sanguis interdum non tempestive missus, plus juvat quam nocet. Quae vires aegrotanti sint, medicum considerare oportet ; quanta vis morbi ; quamdiu traxerit ; qualiter micent arteriae ; et inde judicare, vena secetur, necne, et quantum eliciatur sanguinis.

Sanguine effluente, explorare oportet, digito *carpo* imposito, arteriae fortiter an languide, cito an tarde micent ; unde cognoscere liceat, quando cursus sanguinis supprimeretur. Quo validiore corpore natura aegram donaverit, quanto minus prius expurgata et extenuata fuerit, eo plus sanguinis recte mittitur.

Multi minus artis exercitati medici a vena icenda eo deterrentur, quod cor et arteriae exiliter moventur. Plures, quibus intestinum aut ventriculus inflammatur, eadem medici culpa perierunt ; quisque enim peritus optime novit, motum istum imbecillum arteriarum horum morborum proprium esse, vel si corpora vegetissima ado-

riantur; et inflammatione venis vacuefactis sublata, tolli imbecillitatem, arteriasque iterum fortiter micare. Quod si ratio virium plane venam brachii incidi non patitur, sanguinem abstrahere, cucurbitulis cum ferro aut hirudinibus quam proxime dolentem partem impositis oportebit.

Quaecunque calefacerent, implerent, aut incitarent, fugienda sunt. Cibum igitur e materia tenuissima, et potum dilutum et acidulum esse oportet. Si alvus, morbo ineunte, pigrior sit, solvenda erit, aut liquoribus per alvum infusis, aut medicamentis ingestis. Sales medii optime respondebunt; quales sunt *sulphas magnesiae*, *tartris potassae*, aut *tartris potassae* et *sodae*. Si opus est, his rite accedunt *convolvulus jalappa*, *aloë spicata*, et *submurias hydrargyri*. Si nausea et vomitus urgent, ventriculum *cephaëli ipecacuanha*, aut *tartrite antimonii* et *potassae* exonerare oportebit: nisi equidem abdomen valde tumet, et acute dolet; quod si accidit, vomitus nocebit; et satius erit ut aegra me-

dicamentum bibat, e *carbonate potassae* et *acido citrico* confectum, idque inter effervescendum.

Interdum alvi fluxus aegras valde infirmat et extenuat; hic porro aliquando alvo acrius medicamentis solicitata nascitur. Si ita se res habere videatur, continenda erit *opio* et astringendo idoneis. Saepe autem alvus funditur, eo quod ejus ductione et purgatione neglecta, stercus acre diu morando facit ut natura molimina gravia edat ad offensam ejiciendam. Si exinde fluxus enasci videatur, non temeraria manu reprimi debebit. Dolor ventris, si acerbus sit, pannis laneis impositis, aqua calida humectatis, consopietur. Vesica eadem calida plena eidem parti admota non minus opitulabitur.

Alvo demum exinanita, utile erit per eam aquam tepidam, aut quemvis liquorem glutinosum et mitem injicere; qui ne protinus inde dejiciatur, bene aliquantulo *tincturae opii* imbuitur.

Exulcerantia minime praetermitti debent. Ineunte malo, certeve jam misso sanguine, imponenda sunt; neque unquam officere poterunt, nisi vires eo frangantur, ut mittantur, ne cutis inflammationem malignam in gangraenam desituram excitent. Maxime sane juvat cutem exulcerare; ita enim sanguine ad summum corpus impulso, inflammatio partis interioris sedatur.

Folia *digitalis purpureae*, nisi vetet ratio virium aut ventriculi, aut corporis proprietas huic remedio inimica, bene conceduntur. Horum *tinctura* convenientissime dabitur; et facultate, qua pollet, cor et arterias sedandi, ad inflammationem vincendam, operae aliquantum conferet.

Alvo resoluta, et viribus contritis, non solum *opio* et astringendi potentibus utendum; sed etiam proderunt *cortex cinchonae officinalis*, et alia roborantia. Si cruciat *tenesmus*, liquor opio imbutus per alvum infundendus.

Inflammatione demum fugata, certeve decessura, viribus erit succurrendum ; quae insigniter et quam celerrime concidunt. Praeter igitur roborantia, de quibus dixi, vinum paulo dilutius bibendum ; et pauxillum *opii* rite accedit. Cibus porro satis aliturus foret, et concoctu facilis. Sitis fructibus maturis et potu acidulo restinguenda ; unde quoque febris lenitur, et alvus aliquanto resolutior fiet. Munditie et perflatu opus erit ; quem in finem conclave, in quo mulier cubat, amplum, lucidum et modica temperie donatum, oportet. Si urinae difficultas urgeat, tepidario, *opio* et potu diluto utendum. Si parcior excernitur, urinae moventia danda ; quorum optima sunt *supertartris potassae* et *digitalis purpurea.* Si opus est, urina per fistulam idoneam injectam ducenda erit. Quoties dolor capitis, tussis, et spiritus gravis molestiam facessunt, cutis aut circa os pectoris, aut inter scapulas exulcerata haec mala leniet. Potus glutinosos bibere, aut vaporem aqua ferventis in animae fistu-

las cum spiritu accipere, tussim quoque consopiet.

Muliere demum sanata, vires omnibus modis erigendae; et summo studio cavendum, ne causis objecta in malum recidat.

DE PRAECAVENDO.

Quomodo venturis morbis occurri possit, non minoris novisse medicorum interest, quam qua ratione praesentes fugentur. Quo vero praecaveatur *peritonitis*, oportebit, *puerperae* noxis omnibus cum abditis tum evidentibus eripiantur. Mulieri in utero gerenti quidam sanguinem in hunc finem mitti jubent; quod nocivum judico, nec malo occursurum. Satius erit efficere, ut alvus indies paulo fluentior descendat, vel ducta, vel medicamento leniter solicitata. Eodem spectabit cibus e media materia, satis alendo ap-

tus, nec simul praeter naturam incitaturus, et concoctu facilis. Ambulare, aut si id non licet, curru vehi, citra fatigationem et sudorem, quoniam cordi et arteriis leni est incitamento, et secernenda et excernenda elicit, eoque corpus salutariter deplet, utilissimum erit. Inter pariendum animus, quantum fieri potest, mulcendus est et spe erigendus; et nequaquam commovendus. Quaecunque igitur iram, timorem, moerorem, aut quamvis alium motum animi violentum cieant, evitari debebunt. Jam enixae venter panno circumferendus, quo minus vasa abdominis utero gravido jam diu oppressa nunc sanguinis plus aequo accipiant, neque dolores parturiendo exorti justo citius conquiescant. Sermo multus ultro citroque habitus *puerperae*, nimium exagitando, officiet. Hinc quam paucissimae ancillae aegrae assideant et ministrent oportet: unica praestabit, certeve duae. Quo eadem dormiat, et somno recreetur, lux tollenda; nec aures strepitu exasperandae. Temperie modica opus

erit, ne corpus aut insudet aut frigore inhorrescat. Conclave spatiosum esse et perflatum accipere debet. Fructus aciduli, quales sunt uvae, citri, mala, quam amplissime *puerperis* concedenda. Cibus simplex foret, qui facile concoquatur, conditorum et salsamentorum expers. Si, edito partu, alvus non descenderit, ducenda erit. Enixam porro aliquamdiu cubare, et quiescere supinam, capite sane pulvinis fulto, oportet. Si matri vires sufficiunt, ubera propria infanti praebere debebit; unde rivus amplior sanguinis ad has glandulas profluit; quod non parum operae conferet ad praecavendum. Quo aura pestilens, genetrix hujus mali, deleatur, conclave, ubi cubat puerpera, *acidis* istis aëriis implendum, qualia SMYTHIUS contagem innocuam reddere comprobavit. Haec vero sunt *acidum muriaticum* et *nitricum*.

Robur *puerperae* conciliandum vino meraco parce epoto, cibo, qualem antea memoravimus, *cortice cinchonae officinalis* et e ferro praeparatis ingestis. His servatis, malum de

quo conscripsi, aut praecavebitur, aut, si non obstantibus hisce praesidiis, accedat, mitior fiet, et vix enecabit.

FINIS.